

**NOTIZIARIO DELLA CONFERENZA EPISCOPALE ITALIANA**  
a cura della Segreteria Generale

NUMERO 15

25 NOVEMBRE 1971

---

**NORMAE CIRCA TEXTUS « AD INTERIM » ADHIBENDOS  
IN CELEBRATIONE, PRASERTIM IN CANTU, OFFICII DIVINI ET MISSAE**

*La Nunziatura Apostolica in Italia con lettera n. 2456/71 del 17 novembre 1971, ha trasmesso alcune « Norme » emanate dalla Sacra Congregazione per il Culto Divino, circa i testi da adottare « ad interim » da coloro che non sono ancora in possesso dei nuovi libri in latino o in volgare della Liturgia Horarum.*

*Si riporta per intero il documento per norma degli Ecc.mi Vescovi.*

**I. De Officio Divino**

Novo Liturgiae Horarum Libro in lucem edito, libri pro celebratione in cantu Officii divini, quae fit lingua latina, parari debent. Sacra Congregatio pro Cultu Divino in eiusmodi opus incumbit, sed aliquid temporis spatii ad id conficiendum necessario requiritur.

Interea nonnullae communites canonicorum vel religiosorum, qui Officium Divinum aut eius partem in cantu lingua latina celebrare exoptant, petierunt num instaurata Liturgiae Horarum structura adhiberi possit, libros *Breviarium Romanum et Antiphonale sacro-sanctae Romanae Ecclesiae pro diurnis Horis*, a S. Pio X editum, ad interim retinendo.

Etiam alii qui editiones libri de Liturgia Horarum lingua vernacula apparatas exspectant aut libros lingua latina exaratos prae manibus habere non possunt, sed novum Liturgiae Horarum ordinem servare cupiunt, eandem petitionem, de qua supra, pro celebratione Divini Officii sive in communi sive a solo peragenda exhibuerunt.

Quapropter S. Congregatio pro Culto Divino, ad celebrationem instauratae Liturgiae Horarum formae aptandam ab iis qui sive in choro sive in communi sive a solo veteres liturgicos libros ad interim adhibent, usque dum novi libri in lucem edantur, probante Summo Pontifice, schema infra descriptum proponit.

Schema propositum pro aptatione veteris Officii ad novam Liturgiam Horarum solutio ad tempus omnino censenda est, eo consilio apparatus ut peculiari condicioni huius transitorii spatii provideatur. Minime vero aestimandum veluti substitutum in locum libri Liturgiae Horarum, cuius integra usurpatio, vixdum fieri poterit, necessaria erit, spiritualibus divitiis varietatibusque instaurati libri attentis necnon certa ac definita norma Ecclesiae (v. Const. Apost. *Laudis canticum*).

Etenim renovato operi non est propositum ut oratio brevior reddatur, verum ut deprecationi attenta ac devota, cum tranquillitate animi, momentis silentii interpositis, cum sollemnzi participatione communitatis foveatur, quatenus veritas temporis facilius servetur.

Praesertim communites, in quibus facile aliquod saltem exemplar instaurati libri inventiri potest, novissima elementa Liturgiae Horarum, cuius modi sunt lectiones, orationes, preces, quae ab uno tantum ministro proferri possunt, ceteris participantibus, adhibere non omittant.

#### *Ad invitatorium*

Invitatorii locus est in ipso initio totius cursus orationis cotidiana, scilicet praeponitur aut Officio lectionis aut Laudibus matutinis, prout ab alterutra actione liturgica dies incipit. Invitatorium constat versu: *Domine labia et psalmo cum sua antiphona*.

#### *Ad Officium lectionis*

¶. — *Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia* (quod omittitur tempore Quadragesimae). Si Officium lectionis ante Laudes matutinas dicitur, tunc ei praeponitur Invitatorium ut supra dictum est.

Hymnus matutini.

Psalmodia: tres psalmi cum suis antiphonis.

Versus introductorius ad lectiones, omissio *Pater noster*.

Lectiones sequenti modo componuntur:

a) Quando Officium tres habet nocturnas, lectio biblica coalescit ex unione trium lectionum primi nocturni, lectio patristica ex unione trium lectionum secundi Nocturni.

Unamquamque lectionem sequitur Responsorium, ad libitum seligendum, quod post alteram lectionem dicitur etiam quando Hymnus *Te Deum* dicendus est.

b) Quando Officium unum tantum Nocturnum habet, legitur tantum lectio biblica, ut supra dictum est, et, quando habetur, lectio hagiographica.

Hymnus *Te Deum*, quod dicitur tantum in dominicis extra Quadragesimam, diebus infra octavam Paschae et Nativitatis, in sollemnitatibus et festis, finiri potest post versum *aeterna fac...*

Oratio diei.

¶. *Benedicamus Domino. R. Deo gratias.*

### *Ad Laudes matutinas*

*V. Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia.*

Quae omnia omittuntur quando Laudes ut prima Hora diei celebrantur. Quo in casu dicitur Invitatorium.

Hymnus.

Psalmody: unus e tribus primis psalmis, canticum et ultimus psalmus de Laudibus una cum suis antiphonis.

Capitulum sine R<sup>v</sup>. *Deo gratias.*

Responsorium breve de Prima vel Tertia, omissis V. et R<sup>v</sup>.

*Benedictus* una cum sua antiphona.

Pro precibus dicuntur quaedam invocationes seu versus e formulariis precum feriarium ad Laudes.

*Pater noster.* Oratio diei sine « Oremus ».

Sacerdos aut diaconus, si praesunt, ipsi populum benedicunt ut in Missa et dimittunt formula: *Ite in pace.* R<sup>v</sup>. *Deo gratias.*

Absente sacerdote aut diacono, et in recitatione a solo, sic concluditur:

*Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat aeternam.*

R<sup>v</sup>. *Amen.*

### *Ad Horam medium*

*V. Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia.*

Hymnus, psalmi et capitulum de Tertia vel Sexta vel Nona, iuxta tempus celebrationis.

Non dicitur responsorium breve, sumuntur tantum V. et R<sup>v</sup>. quae sequuntur.

Oratio diei, cui praeponitur « Oremus », cum breviore conclusione.

*V. Benedicamus Domino.* R<sup>v</sup>. *Deo gratias.*

### *Ad Vesperas*

*V. Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia.*

Hymnus.

Psalmody: tres psalmi e quinque qui ponuntur, cum suis antiphonis.

In dominicis autem duo e tribus psalmis dicendi, erunt Ps. 109 *Dixit Dominus* et Ps. 113 *In exitu* (usque ad versum *non nobis, Domine* exclusive).

Capitulum, sine R<sup>v</sup>. *Deo gratias.*

Responsorium breve de Sexta vel Nona, omissis V. et R<sup>v</sup>.

*Magnificat* cum sua antiphona.

Preces ex aliquibus invocationibus ultimae partis Litaniarum Sanctorum.

Pater noster, oratio, benedictio et dimissio ut in Laudibus.

### *Ad Completorium*

*V. Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia.*

Laudabiliter fit conscientiae discussio, quae in celebratione communi inseri potest in actum paenitentiale, iuxta formulas in Missa adhibitas.

Hymnus: *Te lucis.*

Psalmodia:

a) die dominica et in sollemnitatibus: primus et tertius (vel tantum secundus) psalmus de Completorio dominicae.

b) Ceteris diebus: unus e psalmis Completorii diei. Attamen semper eligi possunt psalmi de dominica ad normam n. 88 Institutionis Generalis de Liturgia Horarum.

Capitulum, Responsorium breve, omissis *V.* et *R.*, antiphona et *Nunc dimittis*; et oratio, cui praeponitur « *Oremus* », cum breviore conclusione.

Benedictio: *Noctem quietam*, ut in initio Completorii.

Antiphonae Beatae Mariae Virginis.

Tempore paschali antiphona *Regina caeli*. Extra tempus paschale seligitur una ex antiphonis *Alma Redemptoris Mater*, *Ave Regina caelorum*, *Salve Regina*, *Sub tuum praesidium*, vel aliis a Conferentiis Episcopalibus probatis.

Omittuntur versus, oratio et *Divinum auxilium*...

## **II. De Missa**

Dum editio libri « *Ordo cantus Missae* » — iam typis imprimitur — exspectatur, ii qui Missam cum cantu gregoriano celebrare cupiunt, traditum repertorium, quod in *Graduali Romano* S. Pii X continetur, adhuc usurpare possunt.

Animadvertisatur tamen:

1. Quoad ultimas dominicas « per annum »:

loco cantuum, qui dominicae XXIII post Pentecosten assignantur, eligi potest schema uniuscuiusque dominicae temporis « per annum »; vel « Proprium » componi quit e canticis variarum dominicarum eiusdem temporis.

Idem dicatur de dominicis, quae dominicam tertiam post Epiphaniam sequuntur.

2. Quoad celebrationes Sanctorum usurpari possunt cantus, qui inveniuntur in *Graduali Romano* vel cantus aptiores e Communi Sanctorum.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 11 Novembris 1971, in memoria S. Martini, episcopi Turonensis.

A. BUGNINI, *a Secretis*

ARTURUS CARD. TABERA, *Praefectus*